MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81044-19

AUTHOR:

WARMBIER, ERNESTUS

TITLE:

STUDIA HERACLITEA

PLACE:

BELROLINI

DATE:

1891

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Warmbier, Ernestus, 1868-
Studia Heraclitea... Berolini, 1891.
30 p. 27cm.

Thesis, Berlin.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-15-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202




Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

STUDIA HERACLITEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

Quam

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIII M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXXXI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS WARMBIER

POSNANIENSIS.

ADVERSAII ERUNT:

G. REICHMANN, CAND. PHIL.
E. BETHKE, CAND. PHIL.
N. PULVERMACHER, DR. PHIL.

BEROLINI

MAYER ET MUELLER.

De Heracliti Ephesii philosophia hoc saeculo praecipue egerunt hi:

Schleiermacher (1807) in Wolfii et Buttmanni „Museum der Alterthumswissenschaft“ I, 313 seqq., eadem commentatio nunc legitur in oper. omn. III, 2, 1 seqq.,[1])

Jac. Bernays „Heraclitea“ Bonn 1848, „Heraclitische Studien“ Mus. Rhen. (1850) VII, 90, „Neue Bruchstücke des Herakleitos“ Mus. Rhen. (1854) IX, 241, eaedem tres commentationes nunc leguntur in „Gesammelte Abhandlungen von Jac. Bernays“ ed. H. Usener I, 1 seqq.,[1]) Bernays „die Heraclitischen Briefe“ 1869 Berlin.

Lassalle „Die Philosophie Herakleitos des Dunkelen v. Ephesos“ 2 vol. Berlin 1858.

Schuster „Herakleitos von Ephesos“ in act. soc. philol. Lips. ed. Ritschl (1873) III, 1 seqq.

Teichmüller „Neue Studien zur Geschichte der Begriffe“ c. I Gotha 1876, II Gotha 1878.

Patin „Heraklits Einheitslehre, die Grundlage seines Systems u. Anfang seines Buches“ München 1885 progr.

Edmund Pfleiderer „Die Philosophie des Herakleitos von Ephesos im Lichte der Mysterienidee“ Berlin 1886.

Gomperz „Zu Heraklits Lehre und den Überresten seines Werkes“ Sitzungsber. der Wien. Ak. phil. hist kl. CXIII, 997 seqq. (1886).

Schleiermacher Lassalle Schuster Pfleiderer omnes huius philosophi reliquias explicuerunt, ceteri in singulis versati sunt. Pfleiderer iam optima illa fragmentorum editione a

---

[1]) Schleiermacheri verbis, quae leguntur in mus. antiquit., usus sum, Bernaysii opera omnia in meum usum converti.

Bywatero[1]) curata uti potuit. Zeller in historia philosophiae Graecae tom. I[4], 566 seqq. de Heraclito egit. Nullo igitur non tempore mirum quoddam studium Heracliti eluxit, unde facile intellegitur, quantum huius viri philosophiam ad efficiendam et procreandam veritatis scientiam valuisse viri docti omnibus temporibus iudicaverint. Quam ob rem ei qui philosophiae Graecae intentius operam dare cupit, non inutile erit Heracliti reliquias interpretari.

[1]) „Heracliti Ephesii reliquiae“ Oxonii 1877.

Haec verba in libri Heraclitei initio scripta fuisse Aristoteles et Sextus Empiricus tradunt.[1])

frg. 2. *τοῦ δὲ λόγου τοῦδ' ἐόντος αἰεὶ ἀξύνετοι γίνονται ἄνθρωποι καὶ πρόσθεν ἢ ἀκοῦσαι καὶ ἀκούσαντες τὸ πρῶπον· γινομένων*[2]) *γὰρ πάντων κατὰ τὸν λόγον τόνδε ἀπείροισιν ἐοίκασι πειρώμενοι καὶ ἐπέων καὶ ἔργων τοιούτων, ὁκοίων ἐγὼ διηγεῦμαι, διαιρέων ἕκαστον κατὰ φύσιν καὶ φράζων ὅκως ἔχει. τοὺς δὲ ἄλλους ἀνθρώπους λανθάνει ὁκόσα ἐγερθέντες ποιέουσιν, ὅκωσπερ ὁκόσα εὕδοντες ἐπιλανθάνονται.*

Aristoteles hoc fragmento usus est, ut demonstraret in Heracliteis non facile esse cognitu, quo singula verba referrentur. Hoc enim loco quaeri posse, unde vox *αἰεὶ* penderet. Quam vocem ex verborum ordine et ad superiorem orationis partem et ad inferiorem referas licet. Sane omnes novissimi interpretes *αἰεὶ* cum superioribus coniungere non dubitant.[3]) Qua interpretatione probata sententiae vis in ea re posita est, quod ratio sempiterna existimanda est. At verbis, quae insequuntur, vocabuli *αἰεὶ* vis accuratius describitur; quam ob rem haec particula cum inferiore orationis parte cohaereat necesse est. Homines enim semper rationem neglexisse dicuntur, et priusquam audissent et postquam audissent. Ut explicaret, quid vox *αἰεὶ* sibi vellet, sequentia addere Heraclitus coactus est,

[1]) Byw. testim. ad frg. 2.

[2]) Bechtel. „Die Inschr. d. Jon. Dial.“ Abh. d. Gött. G. d. W. 34,12 „*γίνομαι* in Mylasa und bei Herodot, bei den Jambographen ist *γίγνομαι* die besser beglaubigte Form.“

[3]) Lassalle II, 274, Schuster p. 18, Heinze „Die Lehre vom *λόγος*“ Breslau 1872 p. 10, Zeller 573 A[1], Teichmüller I, 102, Pfleiderer p. 61; cum sequentibus coniungit Schleiermacher 483.

dico verba „καὶ πρόσθεν ἢ ἀκοῦσαι καὶ ἀκούσαντες τὸ πρῶτον.“ Sed unde iam priore aetate ratio ab hominibus perspici potuit? Cui quaestioni ut responderet, sententiam ita supplevit „ἀπείροισιν ἐοίκασι πειρώμενοι καὶ ἐπέων καὶ ἔργων τοιούτων, ὁκοίων ἐγὼ διηγεῦμαι, διαιρέων ἕκαστον κατὰ φύσιν καὶ φράζων ὅκως ἔχει.“ Imperitorum similes sunt periculo facto eorundem verborum et operum, quae equidem diiudico, cum singula naturae convenienter discerno eaque describo. His enim verbis ei tanguntur, qui in quaestionibus philosophis occupati nihil boni effecerunt, quod se ipsum praestaturum esse Heraclitus confidit. Tum Heraclitus „τοὺς δὲ ἄλλους, inquit, ἀνθρώπους λανθάνει ὁκόσα ἐγερθέντες ποιέουσι, ὅκωσπερ ὁκόσα εὕδοντες ἐπιλανθάνονται.“ Aliud est hominum genus, quod hic depingitur. Sententiae enim forma adversativa et pronomine ἄλλους hic diversum ab eis de quibus modo egit, hominum genus describi indicatur. Vulgus igitur dormitans, quod die ac nocte somno non solvatur, ab iis qui in rebus philosophis versati verum indagare non potuerint, seiungitur. Nunc iam de totius sententiae indole et natura iudicare licet. Vides omnia apte cohaerere et sequentia cum superioribus recte coniungi, ita ut ea quae initio ponuntur, progrediente disputatione accuratius explicentur. Cumque sententiae secundariae principalibus nondum inclusae sint, forma periodi fit simplex, quod scribendi genus posteriore aetate λέξις εἰρομένη appellabatur. Nec vero verborum delectum et ordinem simplices esse putaveris, si qualis fiat vocum ἀπείροισιν — πειρώμενοι, similitudine[1]) orationis ornatus, attendas. Similia in proximis saepius videbimus. Animadvertas velim, quoniam Schuster in ea re offendit, cum quadam verborum abundantia καὶ ἐπέων καὶ ἔργων dici; Schuster enim ea verba nimis premendo artes significari coniecit parte libri politica descriptas, quas qui exercuisset, rationem divinam eis innatam perspicere potuisset[2]).

[1]) Quod verba διηγεῦμαι — διαιρέων eadem syllaba incipiunt, casu factum esse puto, negat Schuster p. 18.

[2]) p. 19 A[1].

Quoniam viro doctissimo eas res parte politica tractatas fuisse non concedimus (nam tripartitam Heraclitei libri divisionem non credo genuinam esse) hanc interpretationem non recipiemus, nec idem hominum genus hoc loco nobis tangi videtur quod Schustero. Hoc igitur fragmento, quo nullum amplius exstat, Ephesium, quae sentiret, cum ratione ac satis perspicue explicare intellegimus. Quod quamquam concedimus, tamen multis quoque difficultatibus sententia obstructa est, quarum unam Aristoteles commemoratione dignam habuit. Qua ambiguitate sensum cognitu difficiliorem fieri si quis neget, interpretum discordia, quae ob eam causam nobis commemorata est, erroris convincitur. Jam hic Heraclitum in dicendo verbis artificiose collocatis maxime delectatum esse apparuit. Ac si particulam αἰεὶ ad sequentia referendam esse recte contendimus, verbis antecedentibus „τοῦ δὲ λόγου τοῦδ' ἐόντος“ credere cogimur antea, qualis ille λόγος existimandus esset, explicitum esse. Ne tamen ab ea interpretatione Heracliti librum coepisse falso credideris.[1]) Quae enim ratio huic verbo subsit, compluribus sententiis Heracliteis allatis perspicietur. Ac primum quidem fragmentum commemoro, quod in Bywateri reliquiis collectis primo loco ponitur probante Patinio Cronio[2]) aliis.

frg. 1. οὐκ ἐμεῦ ἀλλὰ τοῦ λόγου ἀκούσαντας ὁμολογεῖν[3])

[1]) Hac in re cum Patinio p. 92 et Cronio in Philol. 47, 616 consentio. Controversiam ob eam rem inter Schusterum et Zellerum natam (Zeller p. 573) Patin (p. 64) accurate diiudicavit, qui mea quidem sententia a verbis ab Aristotele servatis (frg. 2) Heracliti librum coepisse suo iure negat. Neque vero ex Hippolyti verbis (cf. Byw. frg. 1 testim.) etiam nunc aliqua cum verisimilitudine, quae in libri Heraclitei initio scripta fuerint, elici posse Cronio concedo.

[2]) Patin p. 92. Cron l. c. 616.

[3]) Verbi ὁμολογεῖν formam contractam adhibui, quia ea aetate ε cum sequenti ε et ει in unum coaluisse persuasum habeo. Cfr. Ermann stud. V, 288: „Contendo neque in titulo nostro neque in ullo alio vetustiore (exceptis solis titulis Euboicis) exstare vocabulum, in quo ε cum sequenti ε, η, ει non sit contractum.“ Ermanni sententiam refutabat Merzdorf stud. VIII, 147, ex parte recepit titulorum Jonicorum editor recentissimus Bechtel p. 109.

σοφόν ἐστιν, ἓν πάντα εἰδέναι. λόγου pro vulgato δόγματος Bernays coniectura verisimili omnibusque viris doctis probata restituit; Hippolyti editor Miller εἰδέναι in εἶναι mutavit, quam coniecturam multi respuerunt sicut Bernays Patin Pfleiderer [1]). Neque vero unquam mihi persuadere potui, ut ea verba libro ineunte scripta fuisse crederem; magis enim in disputationis finem quam initium quadrant, quibus, ut aliquid concedamus, invitemur. Sed utut res ista se habet, qualem vim Ephesius voci λόγος tribuerit, hoc fragmento non intellegimus. Fortasse adiuvamur alia sententia, quam iam supra commemoravimus.

Frg. 91. ξυνόν ἐστι πᾶσι τὸ φρονεῖν· ξὺν νόῳ λέγοντας ἰσχυρίζεσθαι χρὴ τῷ ξυνῷ πάντων, ὅκωσπερ νόμῳ πόλις καὶ πολὺ ἰσχυροτέρως· τρέφονται γὰρ πάντες οἱ ἀνθρώπειοι νόμοι ὑπὸ ἑνὸς τοῦ θείου· κρατεῖ γὰρ τοσοῦτον ὁκόσον ἐθέλει καὶ ἐξαρκεῖ πᾶσι καὶ περιγίνεται.

Pro vulgata lectione καὶ πόλις ἰσχυροτέρως Schleiermacher felici coniectura καὶ πολὺ ἰσχ. restituit, quod magis mihi placet quam Prelleri πόλιος, quamquam utrumque sententiae satisfacit ac scripturae vulgatae simillimum est, ut, utra lectio genuina fuerit, certo diiudicari nequeat. Initio huius fragmenti vocabulum πᾶσι neutri an masculini sit generis, quaeras, qua ambiguitate verba Heraclitea saepius obscurari comprobabimus. Quod si haec interpretatio tibi probetur, facile in eam sententiam incubueris, ut dicas opiniones, quae omnium iudiciis probentur, secundum Heracliti doctrinam veras esse. Talia enim hunc philosophum docuisse Aenesidemus dixit. Cuius verba leguntur apud Sextum adv. Mathem. VII, 131. τὸ μὲν κοινῇ πᾶσι φαινόμενον τοῦτ' εἶναι πιστόν . . . . . τὸ δέ τινι μόνῳ προσπῖπτον ἄπιστον ὑπάρχειν διὰ τὴν ἐναντίαν αἰτίαν [2]). Non mirum est Aenesidemum ut saepissime alias [3]) sic in gravissima illa re erravisse, quippe qui novae Academiae

[1]) Bernays p. 82, Patin p. 92, Pfleiderer p. 232.

[2]) Alio loco confusione quadam Aenesidemo ipsi haec sententia vindicatur. cfr. Diels Doxogr. 210.

[3]) Zeller III^{3}, 2, 30.

doctrina imbutus et in eiusmodi quaestionibus attentius versatus hanc distributionem sententiarum, quarum unam modo attulimus, Heracliti ambiguitate commotus facile Ephesio vindicare potuerit. Viri docti quamquam eum talia docuisse recte negant, tamen una mente vocem πᾶσι „omnibus hominibus" vertunt. [1]) Fortasse altera huius vocabuli interpretatio stare potest. Etenim si in proximis, quomodo πάντων vertas, dubites licet, tamen in fine huius sententiae πᾶσι neutri generis esse negari non potest. Ubi legem divinam, quoad velit, regnare et omnibus rebus satisfacere easque superare Heraclitus dicit. Qua cum omnia creentur, etiam hominum leges statui verbis antecedentibus „τρέφονται γὰρ πάντες οἱ ἀνθρώπειοι νόμοι κτλ." discimus. Jam vides hac sententiae parte legem divinam omnium rerum communem radicem esse demonstrari. Cumque in antecedentibus haec legantur „homines omnium communi niti debent tamquam urbs legibus vel etiam multo tenacius", quid illud omnium commune aliud esse potest, quam ratio divina omnium rerum communis? Ac quanto rebus imitatione ex ipsa expressis superior est haec ratio, tanto etiam ex hominum sententia civitatis legibus carior esse debet. Quare verba ξυνῷ πάντων „omnium rerum communi" interpretemur oportet, unde elucet voci πᾶσι ei quoque, quae in prima sententia legitur, eandem vim esse tribuendam, ut vertamus „commune est omnium rerum sapere", quod idem valet atque „omnibus rebus divina ratio inest". Hac interpretatione recepta cur legis divinae similitudine Heraclitus usus sit, perspicimus; sin aliam vim eis verbis subesse existimes, quid hac comparatione Ephesius dicere voluerit, nescio. Accedit, quod sententia nobis probata et ex ipsius philosophandi ratione confirmatur et ex aliorum philosophorum mente dicta est. Ut Parmenidem talia docuisse Theophrastus testatur de sensu 4 „καὶ ὅλως δὲ πᾶν τὸ ὂν ἔχειν τινὰ γνῶσιν [2])", et

[1]) Schleierm. 350, Lass. II, 431, Schust. 308, Zell. 651, Pfleid. 49.

[2]) Diels Doxogr. 500.

Empedocli eadem placuisse testimonio est v. 298 (Mullach) „*πάντα γὰρ ἴσθι φρόνησιν ἔχειν καὶ νώματος αἶσαν.*“ Tum multi dixerunt ut Diogenes Apolloniata et imprimis Stoici Heracliti fidissimi illi sectatores. In hoc quoque fragmento, quod modo exposuimus, omnia arte cohaerent, cum singulae sententiae recte se excipiant, eaque quae parte superiore non satis perspicue significata sunt, sequentibus illustrentur. Difficultas oritur vocabulorum *πᾶσι* et *πάντων* ambiguitate et comparatione primo quidem obtutu non perspicua, qua divinae rationis vis depingitur. Audaci metaphora Heraclitus leges humanas divina nutriri dicit, qua sermonis proprietate, quae nobis infra saepius notanda erit, Schusteri opinio refutatur dicentis verbis Ephesii semper naturalem ac principalem vim tribuendam esse.[1]) Immo Heraclitus cum dicendi artificiis delectetur, nomina propria significatione neglecta in alienum genus transfundere solet. Quo in genere animadvertas velim voces *ξὺν νόῳ* et *ξυνῷ*[2]), quia aeque sonant, ab ipso adhibitas esse. Haec autem sententia, qua Ephesius docet, unde viri ratione disputantes proficisci debeant, nusquam nisi in initio libri legebatur.[3]) Cumque, quid Heraclitus omnium commune esse putasset, expositum sit,

frg. 92 *τοῦ λόγου δ' ἐόντος ξυνοῦ, ζώουσι οἱ πολλοὶ ὡς ἰδίην ἔχοντες φρόνησιν.*

perlegens istam divinam rationem, de qua egimus, *λόγον* appellari concedes. Sane Schuster huic eius vocabuli interpretationi non accedit, qui cum unumquodque verbum propria ac principali vi intellegendum esse censeat, fragmentum primum, quod supra commemoravimus, ita vertit „Non me sed orationem meam i. e. causas mihi afferendas

[1]) p. 19 A.

[2]) Verborum similitudo augetur, si Heraclitum *ξὺν νῷ* scripsisse putamus. Neque falso conieceris pro *σὺν*, quam huius vocis formam ea aetate in usu fuisse plerique credunt et titulis comprobatur, *ξὺν* elegantius dici, ut verba *ξὺν νῷ* et *ξυνῷ* sibi respondeant artificio simili atque *βιός* et *βίος* (fr. 66).

[3]) Consentit Patin p. 92.

audientes“ etc.[1]) Sed illud *ἀλλὰ* cum contrarii cuiusdam sit nota et indicium, quomodo hoc contrarium in ea versione deprehendas, nescio; quare altera interpretatio Schustero probata „Orationem naturae audientes“ necessaria est. Neque video, cur ea versione Bernaysii „rationem naturae regentem“ refutari vir doctus contendat. Naturae enim vox et lex divina, quae hâc voce aperitur, cum ex Heracliti mente mutuam rationem ineant, uno nomine significantur. Ac si sententiam, qua vocis *λόγος* vis descripta fuisset, in initio libri positam fuisse recte putamus, haec fragmenta, quae attulimus, imprimis in discrimen veniunt, quibus ea quae desideramus, insunt. Neque vero eas sententias ineunte libro positas esse pro certo affirmare ausim, quia in hac rerum condicione nihil certi dicere licet; eas in reliquiis collectis primo loco afferendas esse satis habeo contendere.

Nunc vero, quoniam ea tractare coepimus,

frg. 65 *ἓν τὸ σοφὸν μοῦνον λέγεσθαι οὐκ ἐθέλει καὶ ἐθέλει Ζηνὸς οὔνομα.*

affero, quo Aristotelis sententia, quam supra commemoravimus, egregie comprobatur. Quo enim singula verba referenda sint, in hoc maxime incertum est.[2]) Maxime autem interpretes dissentiunt, utrum *ἓν* cum sequentibus *τὸ σοφὸν μοῦνον* an cum *λέγεσθαι* coniungendum sit. Pfleiderer[3]) et Cron huic rationi accedunt. Sed Pfleiderer hoc fragmentum interpretans adeo in artem criticam peccavit, ut facile a Cronio refelleretur. Quomodo enim verba *Ζηνὸς οὔνομα* „Juppiter appellari“ et *τὸ σοφὸν μοῦνον* „sapiens numen universi“ verti possent, suo iure vir doctus quaesivit. Neque vero, quod ille proposuit, „Unum numen sapiens solum dici non vult, vult etiam vitae fontis nomen“[4]) cuidam in Heracliteis accuratius versato

[1]) p. 83.

[2]) cf. Cron Philolog. 47, 209 sqq., qui virorum doctorum opiniones collegit.

[3]) p. 95 A[1].

[4]) p. 221 „Eins will das weise Wesen allein nicht genannt werden, es will auch den Namen Lebensquell.“

probari potest. Hac enim interpretatione ea quae artissime cohaerent, divelluntur. Verba *οὐκ ἐθέλει καὶ ἐθέλει* nullo modo separari possunt, quod qui facit, Ephesii disputandi rationem non curat. Et qualem vim eis verbis, de quibus agitur, inesse Cron iudicat! Numen sapiens non solum unum appellari cupit, sed *Ζηνὸς* nomen concupiscit. Neque intellego, quo iure vir doctus verba *καὶ ἐθέλει Ζηνὸς οὔνομα* „vult **etiam** vitae fontis nomen“ verterit. Ut eius interpretationem probemus, tamen nulla alia vis his subesse potest quam haec „**et** vult fontis vitae nomen“. At neque vox *μοῦνον* a superioribus divelli potest neque verba „*καὶ ἐθέλει Ζηνὸς οὔνομα*“ ceteris opponi possunt, quod tamen salva ipsius interpretatione fieri Cron contendit. Ut fragmentum, de quo agimus, in eum modum intellegeret, maxime hac re vir doctus adductus est, quod ea sententia Xenophanis de deo doctrinam refutari persuasum habet. Eundem Heracliti verbis „*δήμων ἀοιδοῖσι πείθονται*“ [1]) irrideri coniecit. At eis maledictis poetas potius sicut Archilochum et Homerum iurgari virorum doctorum consensu comprobatur.[2]) Neque omnino Heraclito Xenophanis de deo doctrinam displicuisse crediderim. Qualis enim similitudo hac in re inter utrumque intercedit! Conferas velim Heracliti

frg. 1. *οὐκ ἐμεῦ ἀλλὰ τοῦ λόγου ἀκούσαντας ὁμολογεῖν σοφόν ἐστιν ἓν πάντα εἰδέναι,*

in quo verba ultima integra relinquenda esse Bernays mea quidem sententia recte censuit,[3]) et Xenophanis frg. 2 (Mullach)

οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ νοεῖ, οὖλος δέ τ' ἀκούει.

ac Heracliti

frg. 19 *ἓν τὸ σοφὸν ἐπίστασθαι γνώμην, οἵην κυβερνῆσαι* [4]) *πάντα διὰ πάντων,*

---

[1]) frg. 111.

[2]) Negat Bernays l. c. p. 33.

[3]) l. c. p. 82.

[4]) *οἵην* (i. e. *δυναμένην*) pro *ὅτε ᾖ* vel *ὅτ' ἐν* proposuit Diels Jen. Literaturz. 1877, 367, *κυβερνῆσαι* in libris traditur.

cum Xenoph. frg. 3

ἀλλ' ἀπάνευθε πόνοιο νόου φρενὶ πάντα κραδαίνει (*κρατύνει* Freudenthal).

Iam concedes ea praecepta adeo congruere, ut ne Heraclitus quidem, iniustissimus aliorum iudex, his Xenophanis sententiis irasci potuerit. Sunt tamen alia in huius viri philosophia, quae Ephesio displicere potuerint. Velut Heraclito in rerum natura describenda errasse videbatur. In hanc enim interpretationem et exagitata eius varia eruditio[1]) et Hecataeus Pythagoras Hesiodus una vituperati quadrant. Quare eis verbis, a quibus profecti sumus, Xenophanis doctrinam refutari nego. Ac si sententiam Cronio probatam recipimus, nomine *Ζηνὸς* rationem divinam aptissime significari Heraclitus docet. Cur eo nomine non usus est? Nam quantum nobis perspicere licet, posterioris aetatis interpretes eius deum hoc nomine appellabant, ipsum hoc saepius fecisse nego. Quare Bernaysii interpretationi simplici et doctae assentior, qui verbis *οὐκ ἐθέλει καὶ ἐθέλει* ex Heracliti mente intellectis neque separatis vertit „unum, quod solum sapiens est, *Ζηνὸς* vel vitae fontis nomine significari vult et non vult.“[2]) Neque Bernaysium quidquam, quod non sermonis consuetudine egregie comprobaretur, protulisse crediderim. Non est, quod in verbis *Ζηνὸς οὔνομα λέγεσθαι* coniunctis offendas. Animadvertas velim Platonis Legg. IV p. 713 A *χρῆν δ' εἴπερ τὸ τοιοῦτον τὴν πόλιν ἔδει ἐπονομάζεσθαι, τὸ τοῦ ἀληθῶς τῶν τὸν νοῦν ἐχόντων δεσπόζοντος θεοῦ ὄνομα λέγεσθαι.* Et fortasse recte vir doctissimus Heraclitum in hac argu-

---

[1]) In rerum descriptione horum virorum doctrinae ostentatio clarissima cerni potuit. Patin (p. 54) dubitandum non esse contendit, quin Xenophanes multo minus quam Heraclitus polyhistor fuerit. At Xenophanes variis carminum generibus studuit, multas terras et urbes adiit, sapientia inde parta ad praecepta sua fulcienda usus est (animadvertas, quo argumento terram ex aqua ortam esse comprobaverit), Heraclitus, quamquam multis rebus ut philosophum eum operam dedisse concedo, virorum doctorum culpa, qui nimis docta et remota eius verbis inesse existiment, polyhistor factus est.

[2]) p. 89.

mentatione verborum *Ζηνὸς* et *ζῆν* similitudine abusum esse contendit. Quod si credis, ea verba in modum Bernaysio probatum intellegenda sunt. Numen vitae fontis nomine significatum, ut ipsius sapientia quoque notetur, optat. Sin autem Heraclitum ab ea etymologia profectum esse negas, Zelleri interpretationi admodum verisimili[1]) assentiaris. *Ζηνὸς* nomine numen appellari vult, quia re vera id est, quod hoc nomine usi adorantur, et non vult, quia nomen istud adhibenti opiniones obversantur ab ipso alienae.

Tertium ambiguitatis ab Aristotele propositae exemplum affero.

Frg. 111 *τίς γὰρ αὐτῶν νόος ἢ φρήν*[2]); *δήμων ἀοιδοῖσι πείθονται*[3]) *καὶ διδασκάλῳ χρέωνται ὁμίλῳ, οὐκ εἰδότες ὅτι πολλοὶ κακοὶ ὀλίγοι δὲ ἀγαθοί· αἱρεῦνται γὰρ ἓν ἀντία πάντων οἱ ἄριστοι κλέος ἀέναον θνητῶν, οἱ δὲ πολλοὶ κεκόρηνται ὅκωσπερ κτήνεα.*

Homines vituperantur, cum poetarum blanditiis capiantur et multitudinis iudicio ferantur. Oratio est acerbissima, prima statim interrogatio iratum philosophi animum prodit. Et augetur huius sententiae acerbitas, si *θνητῶν* a verbis *κλέος ἀέναον* pendere existimes. Sic enim ea verba hac interpretatione probata intellegenda sunt. Vulgo magistro utuntur, cum ignorent multos esse malos paucos bonos. Nam vel optimi eorum ceteris posthabitis

[1]) p. 608 A[1].

[2]) Verbum *φρὴν* ab Homero in eandem fere vim atque *νοῦς* usurpatur. Il. X, 45 *ἐπεὶ Διὸς ἐτράπετο φρήν.* Od. III, 147 *οὐ γάρ τ' αἶψα θεῶν τρέπεται νόος.*

In versu Xenophanis (frg. 3) *ἀλλ' ἀπάνευθε πόνοιο νόου φρενὶ πάντα κραδαίνει* voce *φρὴν* mentis intentio videtur significata esse. Fortasse Heraclitus huic vocabulo eandem vim tribuit. Eadem ratio in sermone Latino intercedit inter animum et mentem.

Cfr. Lucr. V, 148 tenuis natura deum longeque remota sensibus ab nostris animi vix mente videtur.

Catull. 65,3 nec potis est dulcis musarum expromere fetus mens animi.

[3]) *πείθονται* ex Proclo restituit Diels (Jen. Littztg. 1877, 367), Bywater Clementem secutus *ἕπονται* recepit.

mortalium gloriam perennem eligunt, vulgus pecudum ritu cupidines explet. Sic enim mortalitate cum perennitate composita famam, quam homines plurimi aestimarent, irrideri Bernays nos docuit.[1]) Negat Zeller[2]), qui *θνητῶν* cum *ἄριστοι* coniungendum esse censet. Sed ut Bernaysii interpretationem probemus, cogimur, nisi fallor, loco quodam Ciceroniano, ubi eadem sententia fere isdem verbis expressa est. Conferas velim

Her. frg. 111 *τίς γὰρ αὐτῶν νόος ἢ φρήν;*	Tusc. disp. III, 1,2 *Nunc autem . . . in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur . . .*
Her. frg. 111 *δήμων ἀοιδοῖσι πείθονται*	2,3 *Accedunt etiam poetae, qui cum magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur et inhaerescunt penitus in mentibus.*
Her. frg. 111 *καὶ διδασκάλῳ χρέωνται ὁμίλῳ*	*Cum vero eodem quasi maxumus quidam magister populus accessit atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate . . .*
Her. frg. 111 *αἱρεῦνται γὰρ ἓν ἀντία πάντων οἱ ἄριστοι, κλέος ἀέναον θνητῶν,*	*Ut nobis optime naturae vim vidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperiis, populari gloria iudicaverunt. Ad quam fertur optumus quisque veramque illam honestatem expetens, quam unam natura maxime anquirit, in summa inanitate versatur consectaturque nul-*

[1]) p. 32.

[2]) 275 A[1].

iam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae etc.

Est igitur communis quidam locus ab Heraclito profectus et a Stoicis tritus, quem Cicero in suum usum convertit. Hoc enim vel ea re cognoscitur, quod haec verba in libri prooemio leguntur. Quomodo Cicero haec prooemia conscripserit et ante singulos libros posuerit, inter omnes constat. Otiosum igitur mihi esse videtur fontem eius rimari. Hoc constat uberius hic eandem sententiam explicitam esse. Ergo recte eis quae in Tusculanarum disputatione leguntur, quia ad Heracliti librum redeunt, utemur. Ac Ciceronis verbis perlectis dabis Bernaysio ab Heraclito famam perennem mortalium illudi, negabis tamen eos tantum, qui ea aetate et qui antea sapientiae laude floruerint, his verbis iurgari[1]). Immo ut verba, quae in prima sententia leguntur, ad omnes homines spectant, ita in proxime sequentibus inter optimates et vulgus distinguitur.

Supra demonstravimus Heracliti sententias difficiliores fieri cognitu, si quaeras, cuius generis vocabula ut *πάντων πᾶσι* alia sint. Eadem difficultas cernitur in

frg. 18 *ὁκόσων λόγους ἤκουσα οὐδεὶς ἀφικνεῖται ἐς τοῦτο, ὥστε γινώσκειν ὅτι σοφόν ἐστι πάντων κεχωρισμένον.*

Viri docti dissentiunt, cum Schleiermacher Lassalle Teichmüller *πάντων* „omnium rerum," Schuster Zeller Pfleiderer „omnium hominum" vertant[2]). Unde efficitur, ut alius aliud in eis verbis inesse dicat. Quod si vocabulum istud generis masculini esse putamus, sola Schusteri interpretatio stare potest. Zeller probante Pfleiderero sententiam sic intellegit, ut Heraclitus dicat sapientiam ab omnibus hominibus separatam esse, eam qui sibi parere studeat, novam et a vulgari opinione remotam viam ingredi

---

[1]) Hos vituperari existimat Bernays p. 33.

[2]) Schl. 348, Lass. II, 344, Teichm. I. 110. Sch. 42, Zell. 572 A, Pfl. 60.

debere. At si quis in hunc modum ea verba interpretatur, latiorem vocabuli *πάντων* vim de certo quodam insipientium genere cogitans nimis in angustum deducit. Ab omnibus enim hominibus sapientia separata est, quod non aliter intellegere debemus quam in modum Schustero probatum, qui Ephesium confiteri censet a nullo rerum veram naturam perspici posse. Quaeritur igitur, num haec sententia ex Heracliti philosophandi ratione intellegi possit. Repugnant permulta Ephesii fragmenta a Bywatero in libri initio posita, quibus eum non modeste de inventis suis iudicasse discimus. Memineris earum sententiarum, quibus sapientes et vulgus vituperat. Qua quidem superbia iratus erat etiam Aristoteles in Eth. N. VII, 4,1146 b 29 *ἔνιοι γὰρ πιστεύουσιν οὐδὲν ἧττον οἷς δοξάζουσιν ἢ ἕτεροι οἷς ἐπίστανται· δηλοῖ δ' Ἡράκλειτος* (cfr. Magna Mor. II, 6, 1201 b 5)

Ac miror, quod Schuster sententiam suam stare non posse non perspexerit, quamquam ipse commemorat Pythagoram non *σοφὸν* sed *φιλόσοφον* vocari voluisse[1]). Quid? Philosophi summi nequedum sapientiam consecuti confessione nonne intellexerunt ipsorum opera philosophiam non perfectam esse? Pythagoras intellexit, si modo verbis illis, quae modo attulimus, fidem habemus. Et Schuster eis fidem habuit. Quo igitur iure ab Ephesio Pythagoram vituperari Schuster existimat? Sane dices hanc narratiunculam fictam esse, quod iam voce *φιλόσοφος* ab illa aetate aliena indicaretur[2]). Concedo; sed attendas velim Xenophanis

frg. 14 *καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ γένετ' οὐδέ τις ἔσται*
εἰδὼς ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ἅσσα λέγω περὶ πάντων,
εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπών,
αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε· δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.

Intellexerunt hi sapientes philosophiam suis ingeniis non

---

[1]) Laertius Diogenes I, 12 *Φιλοσοφίαν δὲ πρῶτος ὠνόμασε Πυθαγόρας καθ' ἑαυτὸν φιλόσοφον, ἐν Σικυῶνι διαλεγόμενος Λέοντι τῷ Σικυωνίων τυράννῳ ἢ Φλειασίων, καθά φησιν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῇ Περὶ τῆς ἄπνου. μηδένα γὰρ εἶναι σοφὸν ἄνθρωπον ἀλλ' ἢ θεόν.*

[2]) Cf. Wilamovitz Philol. Untersuch. I, 215.

esse perfectam, ignoravit Heraclitus, qui, si Schusteri opinionem probes, ceteris philosophis obiecit, quod ipsi tuo iure opprobrio dederis et ab Aristotele datum est. Ergo Schusteri huius sententiae interpretationem non probabimus. Si *πάντων* generis neutri esse existimamus, spretis Lassallii et Teichmülleri explicationibus, cum sententiam ipsis probatam artificiis ex Ephesii verbis elicuerint, Schleiermacheri, quae in discrimen veniat, ratio restat. Qui ita ea verba circumscribit, ut Ephesium dixisse putet veram sapientiam plane remotam esse ab illo quod est *πυλυμαθίη*, quo multarum quidem rerum sed nimis confusa scientia pareretur. Recte Schleiermacherum hoc dixisse existimo. Verbis enim haec vis subesse potest. Sapientia diversa est ab omnibus rebus, nulli rei recte eam contuleris. Conferas velim frg. 19 *ἓν τὸ σοφόν, ἐπίστασθαι γνώμην, οἵην κοβερνῆσαι πάντα διὰ πάντων.* Et qui eadem aetate et qui antea sapientiae laude floruerant, eos nimis delectari Heraclitus putabat varietate rerum, a qua longissime recederet ipsius doctrina.[1])

Nunc transibo ad simile

frg. 20 *κόσμον τόνδε τὸν αὐτὸν ἁπάντων οὔτε τις θεῶν οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησεν, ἀλλ' ἦν αἰεὶ καὶ ἔστι καὶ ἔσται πῦρ ἀείζωον ἁπτόμενον μέτρα καὶ ἀποσβεννύμενον μέτρα.*

Quaerendum est, quemadmodum *ἁπάντων* intellegendum sit. Zeller Pfleiderer masculini generis hanc vocem esse iudicant, Lassalle Schuster Teichmüller neutri.[2]) Pfleiderer, cum voci *ποιεῖν* et faciendi et versus componendi vis subsit, hac ambiguitate usus verba *οὔτε τις θεῶν οὔτε ἀνθρώπων* proprie intellexit ac sententiam ita circumscripsit

---

[1]) Gomperz (l. c. 1035) sententiam, de qua egimus, depravatam esse persuasum habet et eam fortasse sic emendandam esse censet, ut verba *ὅτι σοφόν ἐστι* usque ad *κεχωρισμένον* deleantur, quibus interpres quidam vocem *γινώσκειν*, quae vox hoc loco idem valeat atque „recte iudicare.“ explicuerit. At credi potest interpretem, ut sententiam satis perspicuam explicaret, eam sic supplevisse, ut non iam intellegatur, quid haec sententia sibi velit!

[2]) Zell. 586; Pfd. 131, Lass. II, 56, Sch. 127, Teichm. I, 86.

„Mundum neque deus creavit neque homo animo comprehendit atque explicando tamquam iterum aedificavit.“ Quae etsi minime probo, tamen in verbis istis inesse posse non negaverim. Sed quo tandem interpretandi artificio ex insequentibus *ἀλλ' ἦν αἰεὶ κτλ.* effecit „sed semper erat idem omnium (hominum ac deorum) et est et erit?“[1]) Nullo modo verba *τὸν αὐτὸν ἁπάντων* cum inferiore orationis parte coniungere debuit, quod si cadit, captiosae simul eius conclusiones omnes corruunt. Ceteri interpretes ea verba integra relinquunt ac fere omnes sic intellegunt: ‚Universum idem est sive omnium animalium sive omnium rerum, ita ut per ea omnia pertineat neque ipsius partibus creari possit.‘ At Graecorum philosophorum mundum ex nihilo creatum esse nemo docuit, eorum dei non res, sed rerum ordinem effecerunt. Huic opinioni imprimis a poetis vulgatae Heraclitus adversatur. Si enim voci *κόσμος*[2]) vis principalis tribuitur, ut idem valeat atque latinum ordo, omnia dilucidiora fiunt. Hunc ordinem, qui idem est omnium rerum, neque deus neque homo effecit, sed semper erat et est et erit ignis sempiternus ex parte accensus ex parte exstinctus. Zelleri verborum *οὔτε τις θεῶν οὔτε ἀνθρώπων* interpretatio, quae idem atque latinum „nemo“ valere dicuntur, verisimilis[3]) quidem est

---

[1]) Mireris, quid ex Ephesii verbis effecerit. cfr. p. 135 A. „Die Welt, welche weder einer der Götter noch der Menschen zu Stande gebracht, war immer als dieselbe für Alle, ist und wird sein“ etc. Quae verba quid sibi velint, facilius intelleges respiciens haec p. 133. „Das Wahre ist vielmehr das ewige Leben der selbstgenugsamen in sich gegründeten Welt als solcher, die in wesentlicher Identität alle früheren, jetzigen und künftigen Weltenbewohner gemeinsam umfasst.“

[2]) Gomperzii huius fragmenti interpretationem sequimur (l. c. pag. 1006). Pythogoram primum fuisse tradunt, qui uteretur nomine *κόσμος* ad significandum mundum aut caelum (Doxogr. 327,8). iam Anaximandrum voci *κόσμος* eam vim tribuisse Chiappelli contendit (Archiv f. Gesch. d. Philos. I, 590). Alio loco ab Heraclito (frg. 56) nomen *κόσμος* ad significandum mundum adhibetur.

[3]) cfr. Her. frg. 102 et exemplorum magnum numerum, quae Wilamovitz (Heracles II, 246) attulit. Hic vir doctus verba, de quibus agimus, similiter Zellero interpretatus est (l. c. 298).

sed nunc, cum ea proprie intellegenda esse vidimus, supervacanea. Facile enim quispiam crediderit leges et civitatis instituta ab hominibus inventa esse, quam opinionem Ephesii doctrinae repugnare ex fr. 91, quod supra commemoravimus, didicimus. Homo igitur ordinis auctor non iudicandus est, quia etiam leges humanae a divina ratione igni innata descendunt. Obscuratur haec sententia verbis *ἀλλ' ἦν αἰεὶ κτλ.* Quod si Heraclitus magis perspicue eloqui voluisset id quod sentiebat, hunc fere in modum explicasset „Totius universi ordinem ratio divina effecit et tuetur, haec autem ratio divina ignis est.“ Lex perpetuae mutationis, unde Heraclitus profectus est, corpus solidum induit et, quia igni innata esse dicitur, ignis appellatur.[1]) Quod animo non satis seiunxit Ephesius, cum scriberet, ne verbis quidem separare potuit, ut perspicias sermonis obscuritatem inde quoque natam esse, quod Heraclitus in rei difficultate haerebat.

Ex eis quae adhuc attulimus, perspicere licet in philosophorum, poetarum, vulgi erroribus vituperandis et in divina ratione proponenda Heraclitum satis multum fuisse fortasse ob eam causam, quae versu Empedocleo exprimitur „. . . . *καὶ δὶς γὰρ ὃ δὴ καλόν ἐστιν ἐνισπεῖν.*“[2]) Ac nisi fallor maxime in hanc ipsius libri partem verba a Diogene servata quadrant. Diog. IX, 7 *λαμπρῶς τε ἐνίοτε ἐν τῷ συγγράμματι καὶ σαφῶς ἐκβάλλει, ὥστε καὶ τὸν νωθέστατον ῥᾳδίως γνῶναι καὶ δίαρμα ψυχῆς λαβεῖν.*[3]) Neque vero idem cadit in eam libri partem, qua, quemadmodum singulae res divina ratione crearentur, docuit. Quod aperte testatur Diogenis auctor. Diog. IX, 8[4]) *πῦρ εἶναι στοιχεῖον καὶ πυρὸς ἀμοιβὴν τὰ πάντα ἀραιώσει καὶ πυκνώσει γινόμενα· σαφῶς δὲ οὐδὲν ἐκτίθεται.*

---

[1]) Hanc sententiam impugnat Teichm. I, 143.

[2]) V. 59 Stein.

[3]) Locus est transscriptus ex compendio Theophrasteo, (Doxogr. 164). *ἐκβάλλει* scil. *τὰ δόγματα* vel *τοὺς λόγους*, ut necessaria non sit Bywateri coniectura *ἐκβοᾷ* Journal of Philology XIII 105.

[4]) Byw. app. I, p. 57.

Quamquam ex verbis *ἀραιώσει κτλ.* hunc auctorem Ephesii mentem non plane perspexisse et aliorum praecepta huc transtulisse apparet, tamen ne ceteris, qnae ab eo narrantur, diffidas, similis querela Theophrasti dissuadet servata a Diog. IX, 5 *Θεόφραστος δέ φησιν ὑπὸ μελαγχολίας τὰ μὲν ἡμιτελῆ τὰ δὲ ἄλλοτε ἄλλως ἔχοντα γράψαι.*[1])

Theophrasto ut gravissimo testi concedimus multa ab Heraclito non accurate descripta esse et fieri, ut eius praecepta inter se discrepent. Neque enim tuo iure negaveris eum libro Heracliti perlecto de eius ratione disputandi recte iudicasse. Hoc etsi Theophrasto dabis, non est, quod causae quoque ei probatae assentiaris. Neque enim plus quam coniecturae verbis *ὑπὸ μελαγχολίας* tribuendum est. Cuius coniecturae originem facile intellegis eorum quae et multitudini et sapientibus Ephesius obiecit, memor. Alterum autem Diogenis locum, quo ab Heraclito non accurate explicatum esse dicitur, quomodo omnia ex igne fierent, respicientes etiam Theophrasti verba maxime in eam libri partem, qua rerum ortus descriptus sit, quadrare putabimus. Ac magno sunt praesidio huic sententiae reliquiae Heracliteae.

frg. 21 *πυρὸς τροπαὶ πρῶτον θάλασσα· θαλάσσης δὲ τὸ μὲν ἥμισυ γῆ, τὸ δὲ ἥμισυ πρηστήρ.*

Hoc primum loco, quamquam in fragmentis, quae adhuc explicavimus, idem animadvertas, moneo saepissime verbi *εἶναι* quaslibet formas deesse; et haec sermonis proprietas in eis sententiis, de quibus nunc agemus, persaepe cernitur. Heraclitus igitur ex igne primum aquam nasci, aquae autem dimidium terram fieri, dimidium vaporem[2]) docet. Sed quomodo ignis in aliena corpora abeat, ex voce *τροπαὶ* in eadem re ab Heraclito saepius adhibita[3]) intellegere non possumus. Tamen verisimile est eum sic haec fieri persuasum habuisse, ut aqua ex

---

[1]) Byw. l. l. 56.

[2]) vox *πρηστὴρ* tam late patet, ut recte in eam vim, quam ei tribuimus, usurpetur.

[3]) frg. 45 *παλίντροπος ἁρμονίη.*

igne genita et igne circumdata calefieret, quo efficeretur, ut ex parte sublimis ferretur et ignem nutriret, pars autem reliqua udore privata solidior fieret, unde terra gigneretur. Tota sententia brevitate et eorundem verborum repetitione insignis est, quod scribendi genus maxime in hac disputationis parte Ephesius videtur amplexus esse. Nam, quae dicuntur ea fere semper in abruptam quandam brevitatem contracta sunt, ut ex communi sententiarum nexu rationes saepissime cogitatione sint supplendae. Ignis mutationes alio loco

Frg. 25 *Ζῇ πῦρ τὸν γῆς θάνατον, καὶ ἀὴρ ζῇ τὸν πυρὸς θάνατον· ὕδωρ ζῇ τὸν ἀέρος θάνατον, γῆ τὸν ὕδατος.*

aliter describuntur. Aqua ex aere oritur, ignis fit aer. Zeller hanc sententiam recentiore aetate fictam esse contendit maxime ea re commotus, quod quattuor principia hic commemorantur.[1]) Fortasse recte vir doctus ea coniecit. Sed dubitationem movet orationis color Heracliteus, quem, quamvis brevis sit haec sententia, tamen facile deprehendas. Vocabula *ζῆν* et *θάνατος* propria vi neglecta in alienum harum' vocum genus transfunduntur, eadem verba repetuntur, ut tribus primis enuntiatis figura quae vocatur antistropha efficitur; totius sententiae brevitas Heracliti scribendi rationem redolet. Credas licet horum verborum auctorem sibi exemplum cepisse de

fr. 68 *ψυχῇσι γὰρ θάνατος ὕδωρ γενέσθαι, ὕδατι θάνατος γῆν γενέσθαι· ἐκ γῆς δὲ ὕδωρ γίνεται, ἐξ ὕδατος δὲ ψυχή.*

ubi id quod in verbis, de quibus agimus, eximium inest, reperias, nisi Theophrasti verborum memor Heraclitum secum pugnantia docuisse credere mavis. Argumento atque forma similia sunt:

frg. 39 *τὰ ψυχρὰ θέρεται, θερμὸν ψύχεται, ὑγρὸν αὐαίνεται, καρφαλέον νοτίζεται.*[2])

Brevissimae sententiae nullo nisi sensus vinculo

[1]) p. 615. et Diels Doxogr. 163 A[1].

[2]) cfr. Ps.-Hipp. *περὶ ἀρχ. ἰητρικῆς* 18 *πᾶσί τε ἡ αὐτὴ ἀπαλλαγὴ ἐκ μὲν τῆς ψύξιος διαθερμανθῆναι, ἐκ δὲ τοῦ καύματος διαψυχθῆναι.* (cf. Maass in Hermae vol. XXII, 568).

iunctae sibi opponuntur. In eis verbis hae orationis figurae insunt: Antithesis, oxymoron, paronomasia, homoeoteleuton, asyndeton. Similia artificia in multis invenias velut

frg. 40 *σκίδνησι καὶ συνάγει, πρόσεισι καὶ ἄπεισι.*

Insunt hae figurae: Antithesis, oxymoron, paronomasia, parison.

Frg. 59 *συνάψειας οὖλα καὶ οὐχὶ οὖλα, συμφερόμενον διαφερόμενον, συνᾷδον διᾷδον· ἐκ πάντων ἓν καὶ ἐξ ἑνὸς πάντα.*

Antithesis, oxymoron, paronomasia.

Frg. *ἀθάνατοι θνητοί, θνητοὶ ἀθάνατοι, ζῶντες τὸν ἐκείνων θάνατον, τὸν δὲ ἐκείνων βίον τεθνεῶτες.*

Anthithesis, oxymoron, parison.

Frg. 52 *θάλασσα ὕδωρ καθαρώτατον καὶ μιαρώτατον, ἰχθύσι μὲν πότιμον καὶ σωτήριον, ἀνθρώποις δὲ ἄποτον καὶ ὀλέθριον.* Oxymoron, antithesis, parison.

Hoc modo Heraclitus rerum naturam descripsit. Eximia verborum audacia et sententiarum brevitas in eis quae attulimus, cernuntur. Sed, quae dicuntur ea fere omnia tanta cum arte sunt delecta et collocata, quantam in Gorgiae Antiphontis aliorum scriptis invenias.[1]) Hic philosophus in universa natura nihil quieti videre, nihil tranquilli potuit, omnia semper mutari persuasum habuit. Quidquid mutatur, contraria continet. Pugnantibus igitur et contrariis principiis hic mundus creatur, divinaeque rationi contigit, ut diversa constringat et unum efficiat. Ipsa enim universam naturam creat, penetrat, tuetur. Haec tamen lex naturae per se cogitari non potest, sed igni innata est; ignis a se ipse dissidens secumque discordans, sed ratione divina ipsi innata coercitus multiplices fetus edit. Quare ea quae a se ipsa dissident, in unam rem concrescunt. Neque vero, quomodo omnia ex igne fiant et divina ratione coniungantur,

[1]) Ipse artificiorum sibi conscius fuisse videtur, siquidem *κοπίδων ἀρχηγὸν* nescio quem vituperaverat (cf. Diels, Archiv f. Gesch. d. Phil. III, 454). Neque enim, nisi artes illas novisset. alios incusare potuit. Et sophistarum mores etiam in aliis rebus tanquam praecepit Heraclitus.

Heraclitus nos docet neque eis sententiis, quas attulimus, neque ceteris. Plerumque res contrarias enumerare et eas sibi pares esse contendere satis habet. Sane exemplis et similitudinibus undique petitis, quae infra explicabimus, rerum perpetuam mutationem et divinae rationis vim illustrare conatus est, sed fere semper ea quae antea occulta erant, ne eis quidem perspici nec cognosci possunt.

Quoniam haec exposuimus, sententiam tractemus multas ob causas dignam, quae accurate explicetur.

frg. **44** *πόλεμος πάντων μὲν πατήρ ἐστι πάντων δὲ βασιλεύς, καὶ τοὺς μὲν θεοὺς ἔδειξε τοὺς δὲ ἀνθρώπους, τοὺς μὲν δούλους ἐποίησε τοὺς δὲ ἐλευθέρους.*

Verbis ultimis orationis figurae quae vocantur antithesis et parison efficiuntur. Pluribus nominibus unam rem declarari Heraclitus vult, sed utitur, ut quam maxime significet, pluribus. Lex enim divina hic bellum appellatur, quod ut intellegas, consulas frg. 36 *ὁ θεὸς ἡμέρη εὐφρόνη, χειμὼν θέρος, πόλεμος εἰρήνη κτλ.* Spiritu poetico rationem divinam omnium rerum parentem et regem esse Ephesius dicit, cuius auctoritati et dei et homines obtemperent[1]).

[1]) Cum Heracliti verbis Pindari pulcher et apud posteriores sophistas conclamatissimus locus (cuius tamen sententia aliena est) conferendus est

frg. 115 *νόμος ὁ πάντων βασιλεύς*
θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων
ἄγει δικαιῶν τὸ βιαιότατον
ὑπερτάτᾳ χειρὶ κτλ.

Conferas praeterea Ps. Hippocr. *περὶ φυσῶν* 3 (Littré VI, 94) *οὗτος δὲ* (sc. *ὁ ἀὴρ*) *μέγιστος ἐν τοῖσι τῶν πάντων δυνάστης ἐστὶ κτλ.* et Gorgias *Ἑλένης ἐγκ.* 8 *λόγος δυνάστης μέγας ἐστίν, ὃς σμικροτάτῳ σώματι καὶ ἀφανεστάτῳ θειότατα ἔργα ἀποτελεῖ* cf. E. Maass. Herm. XXII, 566, qui locum Ps.-Hippocratis ex Gorgiae imitatione expressum esse contendit. At Ps.-Hippocratis libri Heracliteorum doctrinam et disputandi rationem redolent, ut concedendum sit ex Heracliti vel Heracliteorum libris ea verba transferri potuisse. Tum exemplis, quae attulimus, quibus locum quendam a Maassio commemoratum Isocr. or. III, 5 addo, discimus eam metaphoram his omnibus locis adhibitam a scriptoribus istis adeo tritam esse, ut, quem quisque imitatus sit, pro certo affirmari nequeat. cf. Dümmler Academica p. 250 sqq. eiusdemque Prolegomena zu Platons Staat. (Rectoratsprogr. Basel 1891) 34 sqq.

Haeremus in verbis *τοὺς μὲν θεοὺς ἔδειξε.* Utrum Heraclitus multos deos esse credidit an opinioni vulgari deos esse iudicans cessit? An eius scribendi incuriam vituperemus? Si quis Ephesium deorum opinionem non impugnasse censet, afferre potest frg. 102 *ἀρηιφάτους θεοὶ τιμῶσι καὶ ἄνθρωποι,* quo pugna caesos a deis hominibusque celebrari Heraclitus dicit. Sane dicas licet, te verbis *θεοὶ καὶ ἄνθρωποι* nullam aliam vim subicere quam vocabulo Graeco *πάντες.* Contra dicere non ausim neque multum huic fragmento tribuerim, si quis eo solo Heraclitum deos esse existimasse comprobet. Neque tamen idem cadit in eam sententiam, unde profecti sumus. Quare dabis nobis utrumque locum sibi invicem praesidio esse debere. At ex Heracliti philosophandi ratione eiusmodi praecepta intellegi tuo iure neges. Nonne omnia lege divina regi existimat? Non ipsius verbis hanc necessitatem ab eo deum appellatum esse demonstrari potest? cfr. frg. 36 *ὁ θεὸς ἡμέρη εὐφρόνη, χειμὼν θέρος, πόλεμος εἰρήνη, κόρος λιμός· ἀλλοιοῦται δέ, ὅκωσπερ ὁκόταν συμμιγῇ θυώμασι· ὀνομάζεται καθ' ἡδονὴν ἑκάστου.*

Licet de ceteris dubites, hoc sine ulla dubitatione contenderim rationem, cui diversa coniungendi vis est, deum esse Heraclito. Hoc enim prima huius fragmenti parte demonstratur. Proxima quid sibi velint, dubium est; alius enim aliam coniecturam proposuit, quarum ne una quidem huic sententiae plane satisfacit. Sed non nostrum est hanc difficultatem expedire. Vides rationem divinam vel ignem deum appellari; quare locos illos, quibus deorum multitudo commemoratur, nescio an recte sic interpreteris, ut Theophrasti testimonio munitus Heraclitum non omnibus locis eadem docuisse vel praeceptorum suorum immemorem locutum esse existimes. Sed priusquam hoc refugio utamur, cetera, quae ad deorum cultum pertinent, fragmenta interpretemur necesse est. Quorum complura, quae ad id tempus separata legebantur, cogenda esse et unam efficere sententiam Neumann demonstravit.

καθαίρονται δ' ἄλλως αἵματι μιαινόμενοι, ὁκοῖον εἴ τις ἐς πηλὸν ἐμβὰς πηλῷ ἀπονίζοιτο· μαίνεσθαι δ' ἂν δοκοίη, εἴ τις αὐτὸν

ἀνθρώπων[1]) *ἐπιφράσαιτο οὕτω ποιέοντα· καὶ τοῖς ἀγάλμασι δὲ τούτοισιν εὔχονται, ὁκοῖον εἴ τις τοῖς δόμοισι λεσχηνοίοιτο, οὔτι γινώσκων θεοὺς οὐδ' ἥρωας οἵ τινές εἰσιν*[2]) *οὐκ ἀκούουσιν ὥσπερ ἀκούοιεν, οὐκ ἀποδιδοῦσιν ὥσπερ οὐκ ἀπαιτέοιεν.*[3])

Vocabula *μιαινόμενοι* et *μαίνεσθαι*, quia aeque sonant, iuxta posita sunt. Ephesius non dubitat sacris, quibus dei celebrantur, turpissimis verbis maledicere, ut Schusteri opinionem, qua Ephesii obscuritatem explicuit, falsam esse facile concedas. Quis enim his verbis perlectis Ephesium populi credulitati pepercisse credat? Nulla hic obscuritas cernitur, sententia est perlucida. Graeco ritu ei qui caedem fecerunt, victimis caesis se puros reddebant[4]). Qod huic philosopho maxime displicet. Iratus eos qui hostiis deorum animos sibi conciliare studeant, coeno inquinatos coeno se purgare dicit, qui, dum statuas precentur, tamquam cum domibus sermocinentur. In re, de qua nunc agimus, parum hoc fragmento adiuvamur, cum deorum quidem veram naturam hominibus ignotam esse contendat, quales autem et quot fuerint, non describat. Idem cadit in fr. 20, quod supra explicuimus. Difficilius est dictu, quid haec sententia ab interpretibus varie intellecta sibi velit:

frg. 127 *εἰ μὴ γὰρ Διονύσῳ πομπὴν ἐποιεῦντο καὶ ὕμνεον ᾆσμα αἰδοίοισιν, ἀναιδέστατ' εἴργαστ' ἄν. ὡυτὸς δὲ Ἀΐδης καὶ Διόνυσος, ὅτεῳ μαίνονται καὶ ληναΐζουσι.*

Schleiermacher lenissima et fere omnibus viris doctis probata mutatione *εἴργαστ' ἄν* pro lectione vulgata *εἴργασται* restituit. Virorum doctorum alius aliud in eis verbis inesse putavit, quorum sententias Pfleiderer[5]) contulit et diiudicavit. Schleiermacher[5]) Lassalle[5]) Schuster[5]) eis verbis vituperationem subiciunt, ut Heraclitus existimaverit

[1]) ‚Fortasse scribendum *αὐτὸς ἄνθρωπον (si quis suopte ingenio hominem talem fingat).*‘ Diels.

[2]) Num quae sequuntur ea recte hic ponantur, dubito.

[3]) Herm. XV, 605 Fragmentum sic inducitur *Ὅτι Ἡράκλειτος μεμφόμενος τοὺς θύοντας τοῖς δαίμοσιν ἔφη*, ubi deest vocabulum *μαίνεσθαι* vel *μαινομένους*. Byw. frg. 130, 126.

[4]) Stengel griech. Kultusalterthümer 111.

[5]) Pfl. 29, Schl. 526, Lass. I, 205, Teichm. I, 25, Sch. 337.

Orcum, qui idem esset ac Bacchus, sacra pudenda aegre ferre et homines pro ea impietate ulcisci. Teichmüller[1]) rursus nimis remotis et, quibus facile diffidas, argumentis usus sic eam sententiam circumscribit: „Nisi enim Baccho pompam agerent canerentque carmen in pudenda, impudentissima facta essent. Nunc autem Hades (Pudoris filius[2]) idem est ac Bacchus, cui insaniunt et bacchantur. Idem enim est impudens ac decens, hominem carmen in pudenda componere dedecet, Bacchum decet[3]).“ Pfleiderer haec fere in eis verbis inesse existimat. Carmina in pudenda composita impudentia videri possunt, sed si respexeris mysteriis initiatos vitam morte non perire scire, furorem et insaniam non vituperabis. Cum sententiae pars infima difficultates maximas praebeat, inde recte proficiscemur. Orcus et Bacchus idem esse dicuntur. Quibus verbis mortem et vitam idem esse discimus, si pro deorum nominibus res ponuntur. Praeceptum est mere Heracliteum[4]), quod his verbis exprimitur, neque ulli alii neque iis qui bacchantur, notum. Sane homines id cognoscere potuerunt, neque vero de iis rebus, quas faciunt, meditantur. Neque enim Schustero concedo Heracliti opinione id praeceptum bacchantibus notum fuisse. Immo ea verba ex Heracliti mente sunt dicta, ut error quidam refutaretur, qui qualis fuerit, ex verbis antecedentibus intellegimus. Sic enim totum hoc fragmentum fortasse recte explicatur: „Nisi Baccho carmen turpe canerent, impudentissimum factum esset. Sane ignorant Bacchum et Orcum idem esse, quo fit, ut nimio mortis gaudio paene desipiant et in gravissima re turpissime se gerant.“ Aegre fert hic philosophus homines ea quae ipsi, nisi Baccho dicantur, turpissima putent, nescios Orco dicere. Tamen mitigatur huius opprobrii severitas; neque enim homines crudeli fato

[1]) Pfl. 29, Schl. 526, Lass. I, 205, Teichm. I, 25, Sch. 337.

[2]) Plut. de Is. et Os. 29 b *καὶ γὰρ Πλάτων τὸν Ἀΐδην ὡς Αἰδοῦς υἱὸν τοῖς παρ' αὐτοῦ γενομένοις καὶ προσηνῆ θεὸν ὠνομάσθαι φησί.*

[3]) maluerim „nisi in Dionysum hoc carmen condat.“

[4]) frg. 78 *ταὐτ' εἶναι ζῶν καὶ τεθνηκός.*

poenas daturos esse Heraclitus contendit, sed, quanta sit eorum insipientia, demonstrare satis habet. Fato poenas dabunt Homerus aliique, quod mendacia atque deorum maledicta propagaverunt, in eos qui hos auctores sequuntur, minus gravem poenam Heraclitus statuit. Ergo Ephesium deorum opinione usum esse discimus, ut praecepta sua comprobaret. Si enim fr. 73, quod supra commemoravimus, respexeris, dabis nobis eiusmodi sententia Heraclitum adduci potuisse, ut illa verba proferret. Venimus ad

frg. 122 *ἀνθρώπους μένει τελευτήσαντας ἅσσα οὐκ ἔλπονται οὐδὲ δοκέουσι.*

His verbis quid Ephesius dicere voluerit, certo scire non licet. Exstant tamen quaedam sententiae, quibus ad divinandum apte utamur:

frg. 68 *ψυχῇσι γὰρ θάνατος ὕδωρ γενέσθαι, ὕδατι δὲ θάνατος γῆν γενέσθαι· ἐκ γῆς δὲ ὕδωρ γίνεται, ἐξ ὕδατος δὲ ψυχή.*

Animas hominum, cum ex igne constent, mortuas aquam fieri docet, ex aqua terram nasci, inde aqua renata animas vel ignem oriri [1]). Quare Heraclitus homines deos mortuos, deos homines immortales esse putat.

frg. 67 *ἀθάνατοι θνητοί, θνητοὶ ἀθάνατοι, ζῶντες τὸν ἐκείνων θάνατον τὸν δὲ ἐκείνων βίον τεθνεῶτες.*

Ea Heraclitus secum consentiens docuit sicut haec quoque:

frg. 26 *πάντα τὸ πῦρ ἐπελθὸν κρινεῖ καὶ καταλήψεται.*

Ignis omnia diiudicaturus et poena affecturus esse dicitur. [2]) Num fr. 122, quod supra citavimus, aliud quid-

[1]) Animadvertas velim *ψυχῇσι* et *ψυχή* non constanter dici; eadem sermonis inconcinnitas cernitur in frg. 39 *τὰ ψυχρὰ θέρεται, θερμὸν ψύχεται κτλ.* (Cfr. Diels. Jen. Littztg. 1877, 367.)

[2]) Hanc vim eis tribuo. Haec enim interpretatio alio loco Heraciteo confirmatur, ubi in eandem vim vox *καταλήψεται* usurpata est. frg. 118 *καὶ μέντοι καὶ δίκη καταλήψεται ψευδέων τέκτονας καὶ μάρτυρας.* Consentit scriptorum ionicorum loquendi consuetudo. cfr. Bechtel l. c. 99 „zu den Resten des Dialekts gehört auch die Anwendung von *καταλαβεῖν* im Sinne von „die Verurteilung bewirken."

dam, quod nescio an ipsius philosophandi rationi repugnaverit, docuerit, in hac rerum condicione pro certo affirmare non licet. Ac si omnia, quae attulimus, fragmenta perspexeris, concedes Heraclitum, cum de deis ageret, multa, quae cum ceteris ipsius praeceptis consentirent, docuisse; sed relinquuntur pauca, quae quemadmodum proferre potuerit, nesciamus. Licet existimare Heraclitum aliis locis alia docuisse, quod facile fieri potuit, si eae res occasione data tangebantur neque certa quadam libri parte accurate explicabantur. Quam rem quamquam sic explicari posse concedo, tamen ea interpretatio mihi non probatur. Immo fr. 44 moveor, ut existimem Heraclitum multos esse deos credidisse, qui omnes necessitati parerent. [1])

Restat, ut difficultatem, quam saepius iam commemoravimus paulo copiosius tractemus. fr. 36 tam difficile nobis videbatur, quia dubium erat, quomodo exemplum ab Heraclito adhibitum intellegendum esset. Huius modi autem exemplis unam rei describendae proprietatem Heraclitus illustrabat non curans, num in ceteris quoque res comparatae consentirent. Quo in genere plane Homericus est. Velut fit

frg. 22 *πυρὸς ἀνταμείβεται πάντα καὶ πῦρ ἁπάντων, ὥσπερ χρυσοῦ χρήματα καὶ χρημάτων χρυσός.*

Ut, quomodo ignis mutetur, perspiciamus, comparatio cum auro, quo omnes res et quod omnibus rebus mutatur, instituitur. Duplicem Heraclitus interpretationem proposuit (*πυρὸς πάντα καὶ πῦρ ἁπάντων, χρυσοῦ χρήματα καὶ χρημάτων χρυσός*), quod cur fecerit, e cogitationum nexu facile divines; alias enim ignis partes sublimes abire, alias descendere hac repetitione significatur. Vides igitur Ephesium communem ignis et auri comparationem etiam ad singula quaeque rettulise, ut et universa definitio et partium inter se ratio rectius intellegerentur. Quod etsi

[1]) cfr. controversiam de deorum opinione Xenophanis a Freudenthalio motam „Die Theologie des Xen." Breslau 1886 et eiusdem „Zu Xenophanes" Steins Archiv z. G. d. Ph. 1888 I, 322 sqq. Contra eum Zeller in eiusdem annalis t. II sqq. Hist. phil. I, 1[5], 526.

concedimus, tamen non omni ex parte hoc exemplum in rem describendam quadrat. Ignis enim in aliam naturam abit, aurum permutatum restat idem. Satis apte Heraclitus fluminis instar omnia moveri dixit,[1]) quo perpetuo motu natura staret. Eo interrupto rerum ordinem turbari, ut potio mixta,[2]) nisi moveretur, in singulas partes divideretur. Difficilius est intellectu

frg. 45 *οὐ ξυνίασιν ὅκως διαφερόμενον ἑωυτῷ ὁμολογεῖ· παλίντροπος γὰρ ἁρμονίη ὅκωσπερ τόξου καὶ λύρης.*

Exstat altera quoque huius fragmenti forma

frg. 56 *παλίντονος ἁρμονίη κόσμου ὅκωσπερ λύρης καὶ τόξου.*

Utramque sententiam ex eodem loco Heracliteo fluxisse nemo negabit. Utram sequemur? Verba, quae priore loco commemoravimus, propius ad genuinam huius sententiae formam accedere mihi persuasi, quia facilius intellegitur, quomodo *παλίντονος*, quod vocabulum altero loco legitur, irrepserit. Ea enim vox ab Homero et Herodoto saepius adhibita est. Accedit, quod in Parmenidis versu notissimo, ubi haec Heracliti verba respici admodum verisimile est, *παλίντροπος* legitur.[3]) Lassalle docta et copiosa disputatione a Pfleiderero magna ex parte repetita evincere conatus est hic Apollinis arcus et lyrae attributa respici.[4]) Eis enim uni eidemque deo datis demonstrari in hoc deo duarum rerum, quae sibi oppositae sint, mortis ac vitae coniunctionem et concentum deprehendi. Artificiosa hercle interpretatio, sed Pfleiderero, qui Ephesium ex deorum cultu plurima in suum usum convertisse existimet, gratissima. Sed sunt, quae huic interpretationi repugnent. Primum vocis *παλίντροπος* vim Lassalle non curavit, quod vocabulum optime in arcus

---

[1]) frg. 41.

[2]) frg. 84.

[3]) V. 51 (Mullach) *πάντων δὲ παλίντροπός ἐστι κέλευθος.* His verbis Ephesii doctrinam refutari Steinhart Allg. Littztg. Halle 1845, 891 primus contendit, cuius inventum Bernays neglexit, cum neminem ad id tempus intellexisse miretur verbis Parmenideis Heracliti praeceptum quoddam irrideri. (Bern. p. 62 A[1].)

[4]) Lass. I, 105 Pfl. 90 A. 1.

vel lyrae formam, in qua tertium comparationis positum esse ceteri interpretes fere omnes putant, quadrat, nisi proprietate neglecta in istum modum intellegi non potest. Tum arcus et lyra non recte sibi opponuntur eo modo, quo Pfleiderer existimat. Neque enim, si mortem illa voce significari vir doctus recte iudicat, hac vitam notari ei dabimus. Arcui, quo interficiuntur homines, res altera, qua reviviscunt, opponatur necesse est. Neque enim recte Pfleiderer exemplum petit a

Frg. 66. *τοῦ βιοῦ οὔνομα βίος, ἔργον δὲ θάνατος.*

ubi res, quae eodem vocabulo significantur, re vera inter se contrariae sunt. Denique, si Lassallii et Pfleidereri interpretationem sequimur, non, harmoniae vi quomodo diversa constringantur, discimus, quod ut nos doceret, Ephesius hoc exemplo usus est, sed novum tantum exemplum, quibus eius disputatio iam abundabat, Ephesius attulit, quo demonstraretur contrariorum concentum in Apolline quoque cerni. Neque plus valeat haec sententia, quam eae quibus mortuos esse immortales, immortales mortuos, diem et noctem idem esse etc. comperimus. At Ephesius hoc exemplo non demonstrare studuit res diversas coniungi, sed id egit, ut ostenderet, quomodo res contrariae divina ratione continerentur. Quare simpliciorem et meliorem interpretationem sequor ceteris viris doctis fere omnibus probatam. Arcus et lyrae forma hic respicitur. Harmonia enim res contrarias, quae in diversas partes tendere cupiunt, continet, ut arcus et lyrae partes dimidiae constringuntur, quae vinculo soluto distant. Neque certum quoddam arcuum genus significatur,[1]) quia lectio *παλίντονος*, qua haec opinio confirmatur, non genuina est.

Venimus ad

frg. 79 *αἰὼν παῖς ἐστι παίζων πεσσεύων· παιδὸς ἡ βασιληΐη.*

Rationem divinam confert Heraclitus cum puero ludente. Concedamus necesse est mira atque audaci

---

[1]) ut Scytharum arcus, de quo Stein ad Her. VII, 69, 2.

similitudine eum usum esse. Teichmüller[1]) mundi sempiternam iuventutem eo exemplo illustrari censet, Pfleiderer[2]) loco quodam Platonis[3]), ubi ratio divina *πεττευτής* nominatur, motus exiguum laborem hic depingi existimat, quo ab Heracliti deo omnia creentur et regantur. Quod utrumque mihi non verisimile est. Id enim Heraclitum egisse existimo, ut exemplo doceret ratione divina semper alias res creari alias deleri. Pueri ludentes, quod aedificaverunt, diruunt, diruta denuo exstruunt. Hac in re tertium comparationis positum est. Atque aptissime locum Homeri Bernays[3]) contulit, ubi idem exemplum adhibitum est, quamquam pro certo haud affirmaverim eum locum Heraclito obversatum esse.

Difficultates, quibus Heracliti sententiae obstructae sunt, fere omnes attigimus, quarum maximam his temporibus eam iudices, quod sententiae brevissimae ex sententiarum nexu solutae nunc iam intellegi non possunt. Tamen ipsius quoque culpa multa obscurari concedes. Quod comprobatur ea ambiguitate, quam Aristoteles commemoratione dignam habuit. Tum certo iam eis, qui librum in manibus habebant, difficile erat cognitu, quomodo exempla ab Ephesio adhibita intellegenda essent. Idem non in eandem quam nos difficultatem velut vocabula *πάντων* et *πᾶσι* interpretantes incurrerunt, quippe qui ex fonte haurirent et id quod significatum erat, ex sententiarum nexu supplere possent. Quod quamquam concedendum est, tamen reliquiarum memoria satis evincitur ne veteres quidem, quibus aditus ad librum patebat, hanc difficultatem plane superasse. Multus fuit Heraclitus in divina ratione laudanda. Neque vero accurate explicavit, quomodo ex igne omnia fierent, quo factum est, ut pos-

[1]) Teichm. II, 193, Pfleid. 117.

[2]) Plato leg. X, 12 p. 903 d. Heracliti verba hoc loco respici admodum verisimile est. cfr. Zell. 584 A. 3.

[3]) p. 58 Il. XV, 361 *ἔρειπε δὲ τεῖχος Ἀχαιῶν ῥεῖα μάλ', ὡς ὅτε τις ψάμαθον πάις ἄγχι θαλάσσης, ὅστ' ἐπεὶ οὖν ποιήσῃ ἀθύρματα νηπιέῃσιν, ἂψ αὖτις συνέχευε ποσὶν καὶ χερσὶν ἀθύρων.*

terioris aetatis interpretes coniecturis uterentur, neque dilucide exposuit, quomodo harmonia contraria coniungeret. Quamquam autem exemplis, quae attulimus, illa illustrare studuit, tamen haec explicatio legenti nequaquam satisfacit. Varia, quae inter se contraria sunt, contulit, omnia divina lege coniungi contendit, in hominum legibus, in deorum cultu, in sermonis consuetudine usquequaque rationem cerni ostendit. Idem tamen non accurate exposuit, quomodo haec omnia a lege divina penderent. Nullo quidem loco sententiam, quam supra commemoravimus, *ταὔτ' εἶναι ζῶν καὶ τεθνηκὸς*[1]) ab eo tam accurate explicitam esse puto quam a Platone Phaed. 16 p. 71 C — 72 E. Neque ab eo quaestionem quandam tam copiose pertractatam esse existimo, quam a Ps.-Hippocrate loco, quem supra citavimus[2]), neque tam insignem verborum origini explicandae eum operam navasse quam Platonem dialogo cui inscribitur Cratylus. Permulta tetigit, quae quia non copiosius explicabantur, etiam eis quibus sententiarum nexus notus erat, sine dubio difficultates praebebant. Neque enim si accurate id quod sensit, descripsisset et argumentis gravibus comprobasset, Aristoteles eum opinionibus suis magis confidere, quam ceteros eis quae scirent, dixisset. Ciceronis verba, quibus librum quendam Aristippi vituperavit, in Heracliti quoque quadrant. „In alio vero libro, in quo breviter comprehensis gravissimis sententiis quasi oracula edidisse sapientiae dicitur."[3]) Neque vero ulla sententia istorum opinio, qui Heraclitum de industria obscure scripsisse existimant, confirmatur. Sententiis brevibus Ephesius delectatur, quod genus nos ad exemplar Hippocratei illius libelli aphorismos vocamus, nec currit oratio, sed tamquam gravi pondere retardatur. Magna cum audacia nomina vi propria neglecta in alienum genus transfunduntur. In eis autem libri partibus, ubi Heraclitus Gorgiae more modoque locutus videtur, non

[1]) frg. 78.

[2]) Byw. app. II cap. 12 seqq.

[3]) De fin. II, 7.

casu sententiarum artificiis utitur, sed ipse rerum quam statuebat discordia et ambiguitate ad verborum et contrariorum lusus invitatus est. Etsi neque qui antea neque qui eadem aetate scripserant, hunc orationis ornatum plane spreverunt, tamen si quis, ut exemplo utar, eius rei exempla Homerica ab Augusto Nietschio magna cum diligentia collata [1]) perlegerit, facile concedet non scite sed fere semper casu illum poetam verba in eum modum collocasse. Quod in Heraclitum non cadit. Atque ut Gorgiam Empedoclis discipulum [2]) fuisse probabile est, ita etiam Heraclitei stili imitatores posteriore aetate exstiterunt, quorum specimina quaedam corpus Hippocrateum feliciter servavit.

---

[1]) Aug. Nietsche „De Thucydide Antiphontis et Homeri imitatore" Münden 1885 progr.

[2]) Diels. Sitzungsb. d. Berl. Acad. 1884, 343.

Theses.

1) Eis quae Plutarchus Brut. cap. 40 seqq. de pugna apud Philippos commissa Messallam secutus tradit, recte Drumann (Röm. Gesch. II, 142 adn. 66) fidem denegavit.

2) Heracliti librum Parmenidi notum fuisse contendo.

3) Libri Heraclitei formam tripartitam non genuinam esse credo.

4) Xenophanem multos deos credidisse Freudenthalius recte posuit.

5) Aristotelis poet. 1449 b 9 *μέχρι μὲν τοῦ μέτρῳ* Thyrwitt recte emendavit.

6) Heracliti frg. CXVIII *πλάσσειν* recte a Bernaysio est emendatum.

7) Antiphon or. I § 4 *ἔλθοι* ex Crippsiano restituendum est.

Vita.

Natus sum Ernst Warmbier die XXVII. mens. Jan. a. huius saec. LXVIII in oppido, quod vernacula lingua Rynarzevo appellatur, patre Carolo matre Ottilia e gente Bigalke, quos etiamnunc superstites esse gaudeo. Fidei adscriptus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus, ubi gymnasium Regium Vangrovecense novem annos frequentavi, vere a. h. saec. LXXXVI testimonium maturitatis adeptus civibus universitatis Berolinensis adscriptus sum, ubi studiis philologis et philosophis operam dedi. Docuerunt me viri illustrissimi: Curtius, Deussen, Diels, Dilthey, Huebner, Kirchhoff, Paulsen, Roediger, Rothstein, J. Schmidt, Schroeder, Vahlen, Zeller. Seminarii philologi, quod floret Kirchhoffio et Vahleno rectoribus, per bis sex menses fui sodalis ordinarius. Ad exercitationes suas epigraphicas Kirchhoff, philologas Huebner et Rothstein mihi benigne aditum praebuerunt.

His viris omnibus gratias ago singulares, praecipue vero Dielsium, cuius doctrina non solum in scholis mihi uti licuit, sed qui etiam in hac dissertatione scribenda summa cum benignitate me adiuvit, venerari non desinam.

Druck von G. Zahn & H. Baendel, Kirchhain N.-L.